

1850

DISPUTATIO JURIDICA
De
EXCEPTIONE
NON NUMERATÆ PE-
CUNIÆ,

Quam
Divinâ clementiâ gratiosè annuente
CONSENSU MAGNIFICI WITTEBERGENSIUM JCTORUM
ORDINIS,
SUB-PRÆSIDIO
VIRI
NOBILISSIMI, CONSULTISSIMI ATQVE
EXCELLENTISSIMI

DN. WILHELMI LEISERI,
JCTI & ANTECESSORIS Hujus ACADEMIÆ Famigera-
tissimi, Curia Electoralis, Scabinatus ac Facultatis Ju-
ridicæ Assessoris Gravissimi p.t. Decani
Spectatissimi,

*Patroni ac Præceptoris sui submisso animi
cultu devenerandi,
placido Eruditorum examini publicè
proponit*

GEORGIUS GABRIEL GRIEBE/ Dresd.
A U T O R.

*In Auditorio Jctorum, ad diem April.
hor. Antemer.*

WITTEB. Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr. 1665.



1236.





I. N. J.

EXceptionem, Imperator noster
Justinianus in l. 4. 9. § II. C. de
Except. necessariam vocat de-
fensionem: Et sanè non imme-
ritò, quia reorum defendendorum causa
est comperata. *pr. Instit. de Except.* Undè
etiam Glosa, eandem Arma reorum, *ad*
dict. pr. & Cujac. clypeum ac arietem, quò
actio infringitur, appellat in *π. C. h. t.* Sunt
enim exceptiones nihil aliud quam quasi
scuta ac clypei ad ictus actorum excipien-
dos: accuratius dicuntur allegationes reis
competentes adversus actionem, quæ jure
quidem Civili efficax, naturâ tamen iniquas
habeat vires. *Dd. ad pr. J. de Except.* Indè
à *Vvesenbec. in π. ff. num. 8. de Except.* Æ-
quitatis esse dicuntur. Generaliori verò
significatu non tantum adversus actionem
A 2 dirigun-

diriguntur, sed & aliis iudicii partibus oppo-
 ni solent; Neq; enim semper expedit reo
 statim ad propositum respondere libellum,
 sed is ré benè deliberatâ, vel contra ipsum,
 iudicem, vel etiam adversus adversarii per-
 sonam iis setueri solet. Hinc orta divisio
 apud Autores, quod aliæ sint Dilatoriæ,
 aliæ peremptoriæ: Ubi dubitatur, ad quam
 speciem nostra, nempe de NONNUMERATA
 PECUNIA, referri debeat. Dubitandi causa
 est, quod temporalis est intra certum tem-
 poris spacium proponenda. Sed quia semel
 opposita perpetuam vim habet, eam cum
Zoës. ad tit. D. de Except. num. 7. perempto-
 riis annumeramus. Est autem hæc nostra
 exceptio itidem reorum defendendorum
 gratia & veritatis conservandæ causa com-
 parata. Etenim qui pecuniam sibi quasi ab
 alio creditam & numeratam, cum credita
 & numerata non esset, restituere creditori
 promiserit, is quidem ex promissione sua
 obligatur, & ad pecuniam illam solvendum
 conveniri potest. Verùm tamen, quia
 iniquum

1239.
iniqum foret, ut is qui nihil accepit, quasi accepisset ex cautione teneretur, optimo jure obtinuit, ut de pecunia non numerata intra certum tempus excipere liceret, quâ exceptione removeat reus agentem; Excipiendo, se quidem pecuniam spondisse restituere: Sed pecuniam istam sibi ab actore nunquam adnum eratam creditam §. 2. J. de Except. l. 14. C. de non. num. pecun. Quam in foro frequentissimam exceptionem impræsentiarum pro ingenii mei modulo abiturien sum tractaturus. Cum autem in omnibus tam minimis quam maximis debeat implorari assistentia DEI ter Maximi, ideò clementissimum DEUM, ac Salvatorem nostrum IESUM Christum, & benignissimum ejus auxilium prius cum sacratissimo nostro Imperatore ardentem ac devotè invocans ex *Novell. 85. in præf.* ad institutum hoc meum progredior.

THESIS I.

UT distinctius de toto negotio dicam, præmitto exceptionem de non numerata pecunia aliter creditori, aliter debitori competere, Quæ datur actori seu credi-

A 3

tori,

tori, eam opponere potest contra apocham seu utivocant
 qui etantiam, quâ pecuniam solutam sibi esse confitetur:
 Verum non idem cum debitore tempus, sed brevius, tri-
 ginta videlicet dies, habet, *l. 14. §. 2. C. de non. num. pecun.*
 Non enim tanta aviditas creditoris est, pecuniam suam
 recipiendi, quanta debitoris mutuum desiderantis, nec
 lex præsumit, tam facile creditorem, atq; debitorem, non
 factâ numeratione, cautionem talem scripturum fuisse
Carpzov. jurpr. forens. part. 22. Const. 29. defn. 19. & Dd.
communiter in dict. l. 14. §. 2. C. b. t. Quibus elapsis deindè
 audiendus non est *dict. l. 14. §. 2. Zanger. de Except. part. 2.*
cap. 14. n. 25. Carpzov. dict. loc. n. 2. At si intentionem suam
 creditor post hoc tempus elapsum probare desideret,
 quid sentiendum? & putat Anton. Faber. tunc ipsum
 non prohibendum, sed in annum usq; trigessimum ad-
 mittendum esse, *in C. lib. 4. tit. 2. defn. 7. n. 4.* Quæ sen-
 tentia æquitatem præ se ferre videtur. Sed illo non ob-
 stante, in præsentî nostro casu contrarium communiter
 est receptum cum textus *l. 14. §. 2.* apertissimè dicat, ex-
 ceptionem, non numeratæ pecuniæ neq; factæ solutionis
 intra triginta dies esse faciendam, nec postillos elapsos
 licere creditori dicere, non esse sibi pecunias numeratas;
 à quâ Communi non recedendum.

THES. II.

Quæ verò reo datur exceptio, competit, si scripse-
 rit, se alteri, fortassè Titio, ex mutuo decem aut vigin-
 ti &c. debere, quæ nondum accepit; *tot. tit. C. de non.*
num. pecun. sive simpliciter confessus scripturâ fuerit,
 se pecuniam accepisse, sive fassus fuerit, sibi ante annum,
 aliquot dies aut menses, pecuniam numeratam. *Gometz.*
Tom. 2. var. resolut. c. 6. n. 4. Fachinæus lib. 2. Controv. jur.
cap. 83.

1241.
cap. 83. Non enim lex imposita est verbis, sed rebus *l. 2. in fin.*
C. Commun. de legat. Et hæc exceptio intra biennium, (non
uto lim intra quinquennium, ut patet ex Constitutione Aurelii
Cæsaris, quæ scripta est in fragment. Codicis Hermoge-
niani *tit. de Caut. & nonnum. pecun.*) opposita, facit, ut
nisi actor probet verum esse, quod reus se debere scripsit,
is meritò absolvatur, *dict. l. 14. l. 3. & l. 10. C. h. t.* & quidem
continuum, à die datichirographi computandum, *l. 14. pr.*
& §. final. C. de non. num. pecun. nè creditores diutius pos-
sint suis pecuniis forsitan defraudari. *Instit. de Liter. ob-*
ligat. Zoëf. de O. & A. n. 23. Coëterum non solum agenti
ex chirographo opponitur hæc exceptio, sed etiam per
modum actionis de pecunia nonnumerata queri potest,
qui chirographum spe futuræ numerationis dedit. *l. 7.*
l. 8. l. 14. C. lit. Et est hoc singulare quid in hæc exceptio-
ne.

THES. III.

Cum autem Imperator Justinianus in allegata *l. 14.* scri-
ptam cautionem nominatim exigat, adeoquæ ejusmodi cautio
sine scriptura exoriri nequeat; Literæ enim sunt forma ac
radicalis materia, quibus hic contractus chirographarius
initur, sicuti stipulatio præcisè verbis. Disceptatur hoc //
loco contra quam scilicet scripturam, privatam vel publi- //
cam, hæc exceptio opponi possit. Et vera ac communis //
Dd. opinio est, posse eam obijctam contra publicam, //
quam privatam scripturam, *Anton. Perez. num. 5. ad Cod. //*
lit. aut tantum subscriptam *l. 8. §. 15. quib. mod. pign. vel*
hypothec. Item etiam si confessus sit, se centum recepisse,
mutuo & pignus dedisse, *l. 1. l. 3. C. b. Schneidwin. ad tit.*
de lit. Oblig. n. 14. Et uno quidem verbo, contra o-
mnem scripturam quæ de jure, vel consuetudine fidem
facit,

facit, hæc exceptio allegari potest. *Anton. Faber. num. 10. ad tit. de liter. obligat.*

THES. IV.

Non leve hinc oritur dubium, an videlicet ei propterea deneganda sit exceptio hæc privilegiata, qui per stipulationem citra scripturam promiserit, & varia sunt de hæc controversiâ Dd. placita, Negantium tamen sententiam amplecti malo, quam asserentium. Cum passim textus & specialiter in *dict. l. 14. C.* fundent se in cautione per scripturam emissâ; accedit, quod exceptio hæc strictè sit accipienda, nec extendenda, ut quam minimum lædat regulas juris. *Donell. lib. 4. comm. jur. Civil. c. 39.*

THES. V.

Oritur autem ex Confessionis chirographo obligatio, non elapso demum biennio, ut perperam Timæus Faber disputat, *ad Inst. 23. Th. 11. de lit. oblig. & Val. Riemer. Decat. 10. quest. 8.* & alii putaverunt; sed statim, quam primum confessio talis emissâ est *argum. tit. Inst. de lit. Oblig. §. 2. Inst. de except.* Quia alias tempus esset modus inducendæ obligationis, quod est contra *l. 44. D. de Obl. & act.* & obligatio temporis, sive biennii, non literarum dicenda foret, *Goëdd. tr. de stipulat. c. 1. n. 61. Magnif. Dn. D. Stranch. in disertat. suis undeviginti Disfertat. 14. Th. 21.* Et quidem obligatio non civilis tantum, ut quidam existimant, sed civilis & naturalis simul, cum nullibi in jure, civilis obligationis duntaxat fiat mentio, exindè flueret esse jus quoddam civile, quod careat fundamento juris naturalis, quod absurdum est statuere; nec enim se jungenda obligatio civilis à naturali *Borchold. ad pr. Inst. de L. O.* Sed civilis est qualitas quædam accedens naturali, eamq;

1243.
eamq; aptam ac efficacem reddens ad actionem in foro
civilii producendam. *Zoës. ad tit. D. de O. & A. n. 10.* Neq; ex
hâc sententia tempus ante biennium elapsum propterea
confundendum cum tempore post biennium: Ante
enim biennium non numeratæ habet aliquid privilegii,
rejecit scilicet onus probandi in creditorem, elapso au-
tem eo amplius non est privilegiata. *Excellentiss. Dn. D.
Struv. in Syntag. jurp. Exercit. 16. Th. 48.*

THES. VI.

Competit autem hæc exceptio solummodo ex cau-
sa mutui & dotis, non etiam aliis in rebus & contractibus.
l. s. penul. l. C. b. t. Zanger. de Except. b. t. n. 36. Si enim ex
alia causa, puta, depositi, empti, transactionis &c. quis
scriberet & confiteretur; Se centum accipisse: Talis con-
fessio statim præjudicaret & contra scribentem probaret
l. 26. deposit. & l. 13. C. b. t. Ubi Imperator pulchram subji-
cit rationem: Nimis enim, inqviens, indignum esse
judicamus: Quod suâ quisq; vocè dilucidè pro-
testatus est, id in eundem casum infirmare, testi-
monioq; proprio resistere: Quod verò in mutuo
hæc exceptio potius locum habeat, quam in aliis contra-
ctibus, ratio specialitatis hæc est, quod major inopia cir-
ca mutuum faciat frequentius emitti cautionem, antè
numerationem, spè ejus facilius consequendæ; Quâ
ratione porrecta etiam hæc est ad dotem cautam, non-
dum tamen numeratam: propter affectiones, quas ha-
bent ad consequendas pecunias & uxores. *Schneidwin.
de Lit. Oblig. n. 15.* Nam & in hæc frequens est ante ejus
traditionem emitti cautionem ejus receptæ, ideo jura
aptantur potius ad ea quæ frequentius quam rarò acci-
dunt

B

dunt

dunt *l. 5. de LL. de quâ tot. tit. de dot. caut. & non numerat.* Ubi diversa tamen tempora huic exceptioni opponendæ præscribuntur; Nam soluto Conjugio intra annum proponenda est querela *l. ult. C. de dot. caut. non num.* Quod quidem ex alia novissima Justiniani Constitutione, videlicet *Novell. 100.* undè desumpta est authentica *Quod locum C. eod.* Ita demum verum est, si non ultra biennium steterit, matrimonium: Si ultra duraverit, non tamen egrediatur decennium, intra tres menses ab eo soluto; si ultra decem annos, cessat ista exceptio seu querela, & opponens illam exceptionem non est admittendus. *Menoch. lib. 3. præsumt. 12. n. 9. Fachin. lib. 8. c. 82. Covarruv. lib. var. resolut. 1. c. 7. n. 5. in fin.* Et est præsumtio pro dote numerata *dict. Novell. 100. & authentic. Quod locum. Anton. Perez. ad C. tit. de dot. Caut. non numerat. Zoes. ad. tit. D. de O. & A. n. 26.*

THES. VII.

Accidit interdum, ut maritus uxori donaturus sciens, prudens majorem dotem se accepisse, quam acceperit, in instrumento scribat, undè quæri solet an Confessio dotis receptæ à marito facta in dubio censeatur facta animo donandi: an verò sub spè futuræ numerationis; & probabilius videtur hanc confessionem non donandi animo sed spè futuræ numerationis fieri solere: Quia animus donandi non præsumitur, cum donatio non sit admittenda in dubio, ubi alia conjectura sumi non potest *l. 50. de solut. Menoch. lib. 3. præsumt. 12. n. 8. & 10.* Ubi verò de animo donandi constat, & in eò perseveraverit maritus usq; ad mortem habebitur firma donatio *l. 25. C. de donat. inter. vir. & uxor.* & præjudicabitur per eam hæredibus, qui non possunt venire contra factum defuncti, ut in casu

l. 2. C.

1245
l.2. C. de dot. caut. &c. non vero præjudicat ista Confes-
sio constante matrimonio facta Creditoribus, cum non
possit debitor facto suo jus debitorum minuere. Vid. Fa-
chin, lib. 8. Controv. c. 77. & 78. Geil. lib. 2. Observ. 81. n. 2.
Undè nec lapsum temporis, intra quod opponi debet hæc
exceptio, ceu præcedenti Thesi diximus, creditoribus
nocere, quò minus hanc exceptionem quoque post decen-
nium opponere queant, concludunt Rauchbar. part. 2. q. 30.
n. 23. Carpzov. part. 1. Const. 28. def. 74. Est autem effectus
hujus exceptionis dotis nonnumeratæ intra præ finita
tempora opposita, ut numeratio probanda sit non à ma-
rito excipiente, sed ipsa uxore vel ejus hærede dotis resti-
tutionem petente: Geil. lib. 2. Observ. 81. n. 1.

THES. VIII.

Datur verò hæc exceptio in tantum, quantum is
qui excepit, non accepit, quare in totum si nihil accepit,
excipit, si verò majorem pecuniæ quantitatem in-
chirographum contulit quam accepit, quatenus minus
accepit exceptione utetur, ut si quinque; acceperit & in cau-
tionem decem aureorum interposuerit, in quinque; exce-
ptio valebit l. 2. l. 9. C. b. t. Rè enim obligatio non contra-
hitur nisi quatenus datum est l. 17. in pr. D. de pact. Igitur
sicut exceptio non numeratæ pecuniæ datur, cum nihil
est numeratum, ita etiam exceptio non numeratæ partis,
pro parte datur. Atque ita hæc regula non minus hoc in
casu obtinet, eandem scilicet esse rationem totius ad to-
tum, & partis ad partem, quam in aliis casibus l. 76. D. de
R. V. quæ tamen regula aliàs locum non semper habet
l. 8. §. 5. D. de in offic. testam. Sed illud quæstionis est utrum
hoc casu incumbat probatio debitori, se partem quam
negat accepisse; an potius creditori se numerasse affir-



1296.

manti, & videtur citra tamen præjudicium aliorum, dicendum incumbere illam debitori. *Magnif. Dn. Brunne- man. Comment. in Cod. ad d. l. 2. C. b. t. per illam L. verb. Constitit.*

THES. IX.

Nunc de personis quibus competit hæc exceptio. Respicit verò hæc exceptio non solum creditorem & debitorem, ut supra dixi, sed tribuitur quoque hæredibus adversus creditorem & creditoris hæredes aut succesores *l. 8. C. b. t.* intra præstitutum tempus extra ullam controversiam; Ita tamen ut hæredi tantum competat residuum temporis, quod integrum defuncto ad exceptionem competebat. Exempli gratia; Qui dato chirographo pecuniam se accepisse confessus est, intra annum à die emissæ Cautiois decessit, nullâ motâ querelâ de non numerata pecuniâ, hæredi eadem exceptio competit; Sed intra annum duntaxat: quia tantum temporis solum defuncto relictum erat ad querelam instituendam *l. 8. C. b. t. Zanger. de except. part. 3. c. 14. n. 48.* Praterlapso verò hoc tempore legitimo: hæres etiam si pupillus sit, nihilominus tamen debitum solvere tenetur *d. l. 8. in fin. C. tit. Menoch. lib. 3. de præsum. præsumpt. 115. n. 10.* quod ita accipiendum est, ut pupillus hæres debitoris, qui biennium supervixit, & exceptionem hanc non opposuit, omnimodo solvere cogatur. Aliàs pupillo hæredi ex sua persona, ut & minori quamvis ipso jure currat hæc præscriptio, restitutionem in integrum salvam esse docent communiter Dd. allegante *Zangero d. c. n. 51.* Dubitatur verò ex quò die residuum tempus hæredi computandum: an à die aditæ hæreditatis; an vero à die mortis defuncti debitoris: Et supputatur hoc tempus statim à die

1247.
à die mortis Chirographarii ante aditam hæreditatem:
nè plus tribuatur hæredi, quam tribueretur defuncto, si
vixisset *l. 40. D. de usucap.* Biennium enim quod vel con-
dicendæ cautioni, vel opponendæ huic exceptioni à lege
est præfixum; continuum est, quod coeptum semel, con-
tinenter currit, nec interrumpitur morte debitoris:
Ideoq; biennio prætergresso hæredi hanc exceptionem,
amplius non competere magis placet *Zargero d. c. n. 49.*

THES. X.

Fidejussori quoq; & mandatori hanc exceptionem
competere, exemplo rei principalis, decisum est in *l. 12. C. b. t. Zoef. ad D. de O. & A. n. 27.* & quicumq; alii pro reo
principalis obligati sunt *Ilicon. Umm. disp. ad procesf judi-
ciar. 8. Tb. 53.* Nam rei hæc exceptio non personæ cohæ-
ret; cujusmodi exceptiones fidejussoribus invito etiam
reo competunt. *l. 19. de exception.* Item creditoribus
qui res tenent debitoris, à quò cautio conscripta est, &
agunt vel conveniuntur hypothecaria, *l. C. pen. b. t.* Quod
de exceptione non numeratæ pecuniæ in *d. l. pen. ex-
pressè traditur.* De exceptione verò non numeratæ
dotis docent *Fachin. lib. 8. controuv. jur. c. 86. Zarger.*
d. c. n. 21. & 22. & Geil. lib. 2. Observ. 81. n. 10. quatenus
& illam creditores mariti, uxori dotem repetenti op-
ponere queant. Possunt autem hæc exceptione uti cre-
ditores, vel præsentem vel absentem debitorem suo, cui hæc
exceptio competit; quamvis ipse eam non utatur, aut
nunquam usus sit secundum constitutionem Justiniani
in l. pen. C. b. t. Roland. à Vall. Consil. 20. lib. 4. n. 12.

THES. XI.

Imò post biennium quoq; competere hanc exceptio-
nem certum est, si debitor intra præfinitum tempus que-

B 3

stus

sius sit de pecunia non numerata: post hanc enim quæ-
 relam incipit esse perpetua tam principali debitori, quam
 ejus hæredibus, & tam adversus creditores quam Credi-
 torum hæredes *l. 8. C. b. t. Zanger, d. c. n. 56.* ut autem
 hæc exceptio perpetuetur, quærela proponenda erit,
 non nuda tantum denunciatione verbis facta, sed exscri-
 pto, ut innotescat ipsi adversario, si præsens sit, vel si ab-
 sens, apud judicem ordinarium. *l. 14. §. final. b. t. Hahn.*
in Observ. ad Wesenb. π. ad tit. de exception. n. 12. Idem
 obtinet quoque in exceptione non numeratæ dotis, ut
 quærela in scriptis fiat; aut si quis eam in iudicio propo-
 nat oportet eam mulieri, aut ei, qui dotem conscripse-
 rit, innotescere. *auth. Hanc autem C. b. t. & Novell. 100.*
 ubi tamen circa tempus, intra quod hæc quærela moven-
 da sit, adhibetur differentia, quam in superioribus tetigi.
 Cæterum si elapsum fuerit biennii tempus huic exce-
 ptioni præfinitum, nulla instituta quærela, nulla am-
 plius quoque conceditur exceptio debitori, *l. 8. C. b. t.*
 adeoque debitor ex sola scriptura tenetur, quia cautio eo
 sine scripta fuit, ut scribens exinde obligaretur. *Dn.*
Hahn. in observat. ad Wesenb. π. ad tit. de reb. cred.
n. 9.

THES. XII.

Non tamen propterea prohibetur aliis legitimis
 defensionibus se tueri: Potest enim post biennium ex-
 cipere contra scripturam, eam suam non esse, vel ad-
 versus Confessionem suam, quæ scripturam continetur,
 se dolo ad eam inductum, aut vi coactum fuisse *Zanger.*
de except. d. c. n. 58. Ubi insignis ac intricata oritur con-
 troversia, an scilicet post biennium omninò objici non possit
 hæc exceptio, si paratus sit reus liquidò deinde pro-
 bare,

1249.
bare, pecuniam sibi numeratam minime fuisse, quod
quamvis à plerisque affirmetur, ut Gomez. Tom. 2. var.
resolut. cap. 6. Accurs. in l. 14. C. b. t. & aliis plurimis;
tamen etiam sunt multi quibus contraria sententia ma-
gis placet, quorum opinionem & ego, cum pace tamen
aliorum de scripto jure veriore esse arbitror, supra
laudatus Dn. D. Strauch. in d. disert. 21. disert. 14. Thes.
ult. & Tabor. in jurp. elementar. part. 3. sect. 4. Th. 40. &
Schultz. in Synops. ad Inst. de Lit. Obl. pag. 393. Prior sen-
tentia fori est, eaque æquior, & propterea in judicando
ab eâ non recedendum.

THES. XIII.

An verò dicta de objicienda exceptione intra bi-
ennium etiam obtineant de jure Canonico: Et quo-
niam nulla differentia constituenda, atque inducenda
disensio inter jus canonicum & civile, nisi quatenus
sacris canonibus expressum, argumento eorum quæ
habentur in cap. 1. de nov. oper. nunciat. ideoque idem jure
canonico statuendum esse videtur, cum nullibi contra-
rium constitutum sit. Quamvis etiam si alia esset eo-
rum sententia, tamen ea non in foro civili, sed tantum
in terris Ecclesiæ valeret Wesenbec. Consil. 41. n. 29.

THES. XIV.

Neque debitor, si post biennium opponendo exce-
ptionem non numeratæ pecuniæ, jusjurandum actori
deferat, est audiendus l. 14. §. 3. C. b. t. Zanger. d. c. n. 69.
Idemque juris est in creditore adeo ut si post triginta dies
debitori deferat jusjurandum, non cogatur hic jurare
se solvisse pecuniam.

THES. XV.

Effectus exceptionis hujus non numeratæ pecuniæ
est,

est, quod rejiciat onus probandi in adversarium ita, ut donec is probaverit numerationem à se factam, non cogatur ad solutionem debitor, qui effectus in hac materia omninò specialis est. *l. 133. C. b. t. Schneidwin. ad tit. Lit. Obl. n. 10. Carp. part. 1 Const. 32. def. 68. n. 3.*

THES. XVI.

Dantur autem casus permulti, quibus hæc exceptio denegatur. Tres exponuntur *in l. 14. §. 1. C. b. t.* nempe si agatur ex instrumento depositionis certarum rerum, vel certæ pecuniæ *d. l. 14. §. 1. C. b. t.* In securitatibus, publicarum functionum seu Tributorum, quæ tamen publicani cautio & professio minime nocet fisco: ut putat *Zanger. dict. c. n. 9.* de quâ Zangeri sententia tamen dubitat supra laudatus Brunneman in erudito suo ad *C. commentar. in expositione d. §. 1. per l. ult. C. de apochis.* In apochis post confectionem dotalium instrumentorum, de dote vel pro parte vel in solida recepta datis. Sed sunt adhuc alii præter enumeratos quibus cesat hæc exceptio. Si transactionis causa certam pecuniam se soluturum quis caverit *l. 11. C. b. t.* Si debitor fidem cautionis agnoscens, partem sortis vel usurarum am solverit *l. 4. C. tit.* Si substitutus sit reus in ejus locum qui erat obligatus *l. 6. C. b. t. Hugo Donell. c. d. non num. pecun.* Si agatur ex cautione apud argentarios facta *Novell. 136. Bocer. Clas. 2. disp. 14. Th. 107.* Addunt alii, hanc exceptionem locum non habere, si testamento aut Codicillis aut inventario confessus quis sit, sibi pecuniam esse numeratam *arg. l. 1. C. de fals. caus. adjunct. l. 13. C. b. t. l. ult. C. arbit. tutel. add. Gomez. tom. 2. resol. c. 6. n. 5. Zoës. ad tit. D. de O. & A. qui eam rationem hujus limitationis reddidit, quod talis confessio non possit videri spē factæ futuræ numerationis.*

TH. XVII.

1251.

THES. XVII.

Non etiam exceptio hæc vim suam amittit renun-
 ciatione, quia eadem facilitate inducatur quis ad re-
 nunciandum, quàm ad scribendum. *Zoës. d. l. n. 32.* uti
 nec si juramentum cautioni insertum sit *L. ult. C. b. t.*
 Aliud verò dicendum videtur, si renunciatio ex interval-
 lo accesserit. *Hilliger. in Donell. l. 14. c. 37.*

THES. XVIII.

Pœna verò negantis contra propriam scripturam,
 numerationem factam esse, hæc est, ut convictus de
 mendacio damnetur in duplum i. e. summam plenam
 restituit & alterum tantum superaddit. *Novell. 18.*
c. 8. Tabor. jurp. elementar. part. 3. sect. 4. Tb. 40. Bocer.
disp. 14. Tb. 10. At hodiernis moribus in desuetudinem
 abiit illa condemnatio in duplum: Et debitor mendacii
 manifestus, pro qualitate delicti arbitrio judicis multa-
 tur. *Dr. D. Struv. in Syntag. jurp. Exerc. 16. Tb. 49.*

THES. XIX.

Placet nunc hæc & sequentibus aliquot Thesisibus
 præcipuas quasdam controversias quæ ad forum spectant
 subicere: quarum prima est, si scriptura sit instrumentum
 Quarentigiatum, an hæc exceptio non numeratæ pecu-
 niæ contra illud opponi possit: & verissimum est dari
 adversus id, argum. *l. 14. in pr. § l. fin. C. b. t.* & impedi-
 ri paratam executionem. *Carpz. p. 1. Const. 32. def. 65. Zan-*
ger. de except. p. 3. c. 26. n. 9. Berlich. p. 1. conclus. 84. n. 16.

THES. XX.

Porro quæritur locumne sibi vindicet hæc exceptio
 inter mercatores & imprimis an validè opponi possit
 C literis



literis cambii, quarum frequentissimus in ter mercatores solet esse usus, hunc in finem, ut executionem impediatur. Communis interpretum & in foro recepta opinio est, quod illa locum haud habeat *Jason. in l. 6. si cert. petat.* Quoniam inter eos ex æquo & bono iudicatur, & apices juris ac subtilitates negliguntur. *Wesemb. in consil. cons. 31. n. 23. vol. 1. Carpz. jurispr. forens part. 1. Const. 32. defm. 69. & Const. 8. defm. 7.* Undè ulterius infertur, mercatori debitori nec actionem dandam esse ex causa nonnumeratae pecuniae, ad repetendum chirographum ante factam solutionem; Cui enim non competit exceptio non numeratae pecuniae, si conveniretur ex causa mutui, eidem multò minus competit actio ad condicendum chirographum, quasi sine causa factum. *Carpz. jurispr. for. Const. 32. defm. 70.* Et quod attinet in specie literas Cambii, exceptio non numeratae pecuniae iis opposita solutionem retardaret, inq; longum tempus differret, quod tamen nè fiat commerciorum inter est, ipsorumq; mercatorum quorum fides hoc pacto periclitaretur. *Hippol. de Marsil.* additur porro à quibusdam hæc ratio quod plerumq; literis Cambii hæc adjiciantur verba *umb den Werth bin ich von ihm vergnügt/* quæ confessionem pariter & renunciationem inducunt. *Scaccia de Cambio §. 2. Glosf. 81. 12. Carpzov. 2. Respons. 92.*

THES. XXI.

Porro disceptatur, an hæc exceptio tolli possit per contrariam legem, sive potius, ut clariùs dicam, si lege municipali, sicuti plerumq; fieri novimus, constitutum sit, certas duntaxat exceptiones contra instrumentum, aliquod opponi posse, puta solutionis, compensationis,
rei

1253.
rei judicatae & similes, utrum haec Exceptio non numeratae pecuniae perinde censeatur exclusae: Et istis ego exercitii gratia assentior, qui negativam defendunt: Etenim ejusmodi exceptio non numeratae pecuniae inest ipsi obligationi & confessioni, quia lex praesumit confessionem factam spe futurae numerationis, & intra biennium exceptionem concedit, quare in dubio a lege municipali talis exceptio non censi debet exclusae.

THES. XXII.

Lubet etiam quaerere, si quis receptam Syngrapham sive ut vocant quietantiam creditori suo debitum totum restituit, quietationem autem illam postea vel amisit, vel se habere nescivit; & de novo iterum a creditore suo conventus & condemnatus solvit: an reperta deinde quietatione, id quod solverit repetere possit. Et vulgari est sententia illum posse per conditionem sine causa repetere. *Berlich. Decis. 62. n. 4.*

THES. XXIII.

Postremo controvertitur an perpetuo haec detur civitati? quod affirmo: civitas enim ex mutuo non obligatur. *l. 27. D. reb. credit. Carpzov. jurpr. part. 2. c. 6. defn. 18. 19.*

SOLI DEO GLORIA!


C 2

Aurea



A Urea cum primo fluerent mortalibus ævo
 Secula, simplicitas candida ubiqve fuit:
 Nulla cupido mali, nec perfidus ardor habendi
 Tunc erat, improbitas, nomina nulla domi,
 Ferrea ubi primis subierunt tempora, mundus
 Mox rerum faciem cepit habere novam.
 Mille nocendi artes, hinc leges, inde secures,
 Poenaq; damnato redditur apta malo.
 Dum verò antiquos revocare per omnia mores
 Conaris, GRIBI, præmia digna feres.

f.
 Johannes Meisnerus, D.



Ad

VIRUM JUVENEM

Clarissimum, Doctissimumq;

DN. George Gabrieln Griebel /
cum de EXCEPTIONE NON NUME-
RATÆ PECUNIÆ disputaret
AUTOR,


Pollicitus quondam, Te consecrare juventam
 Velle DEO, studiis, SAXONIÆq; DUCI,
 Nominis & Fama quoddam jubar addere Vestra
 Genti: quò super & verba fidemq; dabis:
 Præsentes fidei modò dant documenta pagellæ,
 Quæis solvis gratas vota fidemq; Tuis.
 Nunc precor, ut duro Virtus tua parta labore
 A Jovâ ornetur, SAXONIÆq; DUCE.

Joachimus Merger /
 D. & Pandect. Prof. Publ.
 Non

1255.
Non indoctus abis, mi GRIBI, laudis & artis
Dum monumenta paras: Sic discessisse
juvabit!

*Clarissimo DN. RESPONDENTI,
& in almâ Jenensi & hac nostrâ Aca-
demiâ per complures annos Jurium
Prolyta, Solertissimo, uberrimos vitæ
hujus Academicæ precatur fructus ex
animo.*

Verner-Theodorus Martini, J. U. D.
P. P. & Consil. Elect. Saxon.



IN DISPUTATIONEM JURIDICAM

CLARISSIMI DN. GRIBII,

Sunt quibus hoc nostro volupe est ditescere seculo,
Turpiter & fractis aliorum incumbere rebus,
Quosq; sibi modo sit ferrata census in arcâ
Nunquam sollicitant miseræ dispendia turbæ.
Creditor hinc fallax ad spem traducit habendi,
Sed speciem fraudi prætexens, æris egenum:
Nomen det scriptumq; monet; quibus ille potitus
Mutua mox repetit præsumta, fidemq; secuto
Vellicat auriculam; Renuentem solvere raptat
In Jus Chirographum producit & ultima tentat,
Ast reus in dubio hoc ne totus concidat actu
GRIBIUS en præstò est Juris Studiosus & æqui,
Ostenditq; modos docto conamine, queis se
Defensare queat positusq; evolvere tricis.

C 3

Macte

1256.

Hæc hoc præclaro GRIBI doctissime nisa
Majori prælude operi, nunc te atria sistunt
Causidices, sed mox penetralia sancta videbunt.

Scribet.

Philippus Adolphus Schmid.



Quos vanus error fascinat, invidas
Ardent adustâ mente pecunias.
Factiq; tinnitus ad auri
Quos inbians vocat auris ardor,
Captant inanes aeris halitus,
Mideq; votò charius haud habent
Quicquàm, sed aures celsiores
Se gerere inde probant aselli.
Verùm paratas ære perennium,
Dotes Camenum qvi sibi contulit,
Fama quadrigis æstimatur
Dignus, Et ut volet inter astra.
Non perdidisti tempora luxibus,
Damon; ut ires sub juga Cynthii,
Nummos dedisti cum labore.
Quod labor hic sapiens probabit.

Hæc gratulab. adposuit

Johannes Joachimus Reiboldt/
Eq. Varis.


Hæc.



1857.
Hactenus innumeras numerasti saepe pagellas
Scriptorum Juris lectio grata fuit.
Nunc, quales, dum non numerata pecunia, casus
Eveniant, scripto tradis, Amice, tuo.
Apprecor ut cathedram felici sedere scandas,
Et post incolumis rura paterna petas.

*Paucula haec clarissimo atq; literatissimo
DN. AUTORI & RESPONDENTI con-
terraneo suo charissimo
gratulabundus apponebat*

Mauritius Schwabe/ Jun.



Qua tua sedulitas fuerit, Concivis amande,
Publicitus cunctos ista pagella docet.
Qua Veterum doctè tractas certamina Juris,
Tradita cum nondum justa moneta fuit.
Omnes optamus quò cedant singula votis:
Et tandem patriae commoda multa feras!

*Hæc pauca Amico suo per dilecto
gratulabundus adjicere voluit*

Augustus Schwabe!



UT sibi sit præstò numerata pecunia, quivis
Exoptat, varios aggrediturq; modos:
Sed quòd sit Tibi non numerata pecunia curæ
GRIEBI, hic perspicuè pagina docta docet.

Augu-

1258

Auguror hinc, illi; cui non numerata placebat,
Pro studio dabitur quod numerata suo.

*Clarissimo DN. RESPONDENTI
benevolo gratulabatur animo*

Johannes Georgius Pflug/
Eqv. Misn.


Ich lobe seinen Fleiß / der sich hier läſſet ſpüren
Und zweiffle nicht / daß ihm der Lohn ſchon iſt
bereit /

Wormit die Themis Ihn unfeilbar wird bezieren /
Weil Er hat angewend ſo rühmlich ſeine Zeit.

Also beglückwünſchete ſeines geehrten
Freundes Fleiß

Dam. Siegiſmund Pflug/
Eqv. Miſn.



*Auspiciis absolve bonis, Svavissime Frater,
Quod sub discesſum jam meditaris opus,
Sicq; Academicos felix nunc claude labores
Et cape promeritis emolumenta domi.*

Hiſce paucis fratri ſuo dilectiſſimo
felicia quæq; precari voluit

Gottlob Griebel.



Wittenberg, Diss., 1664-65

ULB Halle

3

004 716 361



1

V. 17







DISPUTATIO JURIDICA
De
EXCEPTIONE
NON NUMERATÆ PE-
CUNIÆ,

Quam
Divinâ clementiâ gratiosè annuente
CONSENSU MAGNIFICI WITTEBERGENSIUM JCTORUM
ORDINIS,
SUB-PRÆSIDIO
VIRI
NOBILISSIMI, CONSULTISSIMI ATQVE
EXCELLENTISSIMI

DN. WILHELMI LEISERI,
JCTI & ANTECESSORIS Hujus ACADEMIÆ Famigera-
tissimi, Curix Electoralis, Scabinatus ac Facultatis Ju-
ridicæ Asseforis Gravissimi p.t. Decani
Spectatissimi,
Patroni ac Præceptoris sui submisso animi
cultu devenerandi,
placido Eruditorum examini publicè
proponit

GEORGIUS GABRIEL Griebel/ Dresd.
A U T O R.
In Auditorio Jctorum, addiē April.
hor. Antemer.

WITTEB. Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr. 1665.